603. f. 28
4

EPITAPHIUM REGINÆ CAROLINÆ:

LONDON:

Printed for T. COOPER, at the *Globe*, in *Pater-noſter-Row*.
M.DCC.XXXVIII.

EPITAPHIUM

REGINÆ

CAROLINÆ

EPITAPHIUM REGINÆ CAROLINÆ.

H. S. E.

Sereniſſima Principiſſa CAROLINA,

Ex antiquâ & illuſtriſſimâ Brandenburgi Onoltzbacenſis Stirpe orta,

Auguſtiſſimi & potentiſſimi Georgii II. D. G. Mag. Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Regis,

Fidei Defenſoris ;

Ducis Brunſvici & Luneburgi, S. R. I. Archi-Theſaurarii & Principis Electoris,

REGINA CONSORS.

Ortu ſplendida, Conjugio ſplendidior, Virtute ſplendidiſſima:

Sine Faſtu magna, ſine Levitate pulchra,

Sine Aſperitate proba, ſine Arrogantia ſapiens,

Sine Oſtentatione munifica,

Summam Dignitatem ſuam, cum Decore, Humanitate, & Modeſtia ſuſtinuit.

Omnium Artium, Scientiarum, Litterarumque humaniorum

Cultrix & Patrona.

Bene merentes apte diſtinxit, remuneravit amplè:

Immerentium Errata ſiluit, potius quàm ignoravit:

Liberalitate ſcilicèt, quàm metu, Imperium exercere,

Et ignoſcere quàm vituperare,

Naturâ promptior

Amicitiâ paucos, Beneficentiâ multos, omnes Benevolentiâ,

Injuriâ neminem proſequebatur.

In alloquio tam blanda & affabilis, ut nemo ei ſuadenti poſſet reſiſtere,

Sed ſingulis quamquam benigna,

Nunquam non bonum publicum privato omni antepoſuit.

Chriſtianam Religionem ſincerè, ſanctéque coluit;

A Superſtitioſorum imbecillitate, & Infidelium audaciâ,

Æquè remota.

In Propoſito ſanctiſſima, & Propoſiti tenax;

Rectè fecit, non ut facere videretur, ſed Recti gratiâ:

Nempè Amore Virtutis unicè capta, & Oculo irretorto ſequens

Quò Jus, & Fas, & Gloria duxerunt.

In negotiis, adeò habilis & acuta, tanquam nihil aliud curaſſet;

Rebus tamen in domeſticis aſſidua, quaſi in Negotiis nunquam verſata,

Liberos ad Virtutem formavit, Præceptis imbuit, excitavit Exemplo.

Eam utilia præcipuè ſpectantem, nec dulcia ſpernentem,

Ad utraque aptam,

Nec mollia corrumpebant, nec terrebant aſpera:

Cum omni enim Lepore & Hilaritate perelegantis Ingenii,

Vim etiam ſagaciſſimi poſſidebat:

Et ſicuti in rebus quotidianis muliebri Comitate utebatur,

Ita in arduis, Viri fortiſſimi Fortitudinem præſtabat.

REGIO CONSORTI,

In ſollicitis Lenimen, in oneroſis Auxilium, in proſperis Decus & Deliciæ,

In omnibus feliciſſimi ſui Ingenii Opem ferens,

In quo nihil futile erat, nihil parvum, nihil imbecillum:

Per omnia denique Conjux & Comes, utilis, placens, fida, perjucunda:

Regiæ nempè Voluntati (ſuæ nimirùm facilimè oblita) perindè adeò dedita,

Acſi aliam ſecum agendi Rationem nunquam iniiſſet:

His Artibus Regis Amorem demeruit, his expreſſit ſuum.

Amicos habuit, & meritò; Inimicos, ſi immeritò; quid mirum?

Cælum ipſum Stultitiâ ſuâ Profani impetunt.

Sed Inimicis quidem (Salutem, non Ultionem quærens,)

Nihil præter lædendi Licentiam eripere optavit.

Eam tantis ornatam Virtutibus,

Rex Germaniam proficiſcens, Cuſtodem Regni quater reliquit:

Tum Conſilii plena, & Artium omnium regnandi perita,

Seditiones vel jam obortas ſine clade compeſcuit;

Vel naſcentibus tempeſtivè occurrit & obſtitit:

De inſtantibus nimirùm veriſſimè Judicare,
Et de futuris callidiſſimè conjectare aſſueta,
Curâ, Vigilantiâ, Patientiâ, Sagacitate, & Celeritate Ingenii,
Superavit omnes & omnia;
Ac populo pacato, ſacrum Depoſitum Regi integrum reddidit:
Non minus læta, eo optatò redeunte, ſummæ Potentiæ Splendorem Honoreſque deponere,
Quam pro eo Curas & Labores ſuſcepiſſe.

Morbo diù & ſupra modum diſcruciante Corpus,
Mens intereà manebat inturbata:
Quid potuere præcellens Animi Magnitudo, & rectiſſima Indoles,
Virtutis Vi, Integritatis Conſcientiâ munitæ atque auctæ,
Tum temporis eluxit;

Dum omnis officii, dum ſolitæ Humanitatis,
Dum Patientiæ, dum Pietatis,
Etiam & Dignitatis ſuæ memor,
Suos non minùs curans, quàm à ſuis curata,
Dolores, neu! acerrimos! penè ſine Gemitu toleravit:
Et ſaucia Vulneribus, medicantem manum, fruſtrà moleſtam Queſtu nullo admiſit,
Mortem inevitabilem à Medicis indictam
Sine Trepidatione audivit;
Jam in horas appropinquantem,
Inconcuſſa expectavit;

Conſtantiâ Antiquis penè inauditâ, & vix credibili Poſteris.

Rapta demùm ineluctabili fatorum Vi,
Diem obiit ſupremum, 20 Nov. 1737. Anno Æt^{s}. ſuæ 55.
Regio Conjuge inconſolabili;
Liberis acerbiſſimè plangentibus;
Aulicis ſummo Mærore affectis;
Et univerſo illachrymante Populo.